

IV. Si per nomen Dei hominibus eorumque acti-
onibus benedicimus, ut proinde impium sit, per
nomen Dei maledicere.

§. 3. Et quoniam etiam *cantilenis* aliquem
celebrare solemus, non video, quare secun-
dum opinionem *Zwinglii* rationi contrarietur
mos laudandi Deum per cantilenas, cum sint
species sermonis, quibus æque quam per hunc
interna nostra erga Deum veneratio declarari
possit.

CAP. X.

DE GRATIARVM ACTIONE DEO
EXHIBENDA.

§. I.

Quod Deo gratia pro tot exhibitis beneficiis
agenda probatur inde, quia his ipsis de-
claramus *internum* nostrum erga Deum *amo-
rem & fidem*, quodque illum habeamus pro
auctore omnium bonorum, quæ possidemus,
& cui totam nostram felicitatem acceptam fe-
ramus.

§. 2. In hac gratiarum actione declarare
debemus,

I. quod *citra nostrum meritum ex gratia nobis
omnia sint concessa.*

II. quod *concessa bona nobis sint pergrata.*

III. quod, quia illa *rependere haut possumus, ea-
dem perpetua memoria recolere ac deprecare ve-
limus.*